



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Methodus Clara Et Facilis Vacandi Orationi mentali Atque Exercendi se cum fructu in præsentia Dei

Coloniæ Agrippinæ, 1687

Caput XXVIII. Disciplinæ sive flagellationes.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46004](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-46004)

infidelitates in tuo servitio hucusque admis-
 fas. Firmiter tibi promitto, futurum, ut
 mihi studiosius advigilem, Fratribus meis
 exemplo meliori præluceam, mihi ipsi ma-
 jorem violentiam adhibeam, atque imposte-
 rum mortificationi, aut obedientiæ, aut hu-
 militati, aut solitudini, aut charitati, aut ora-
 tioni (*juxta majorem defectum, quem in
 seipso agnoscit*) tuâ gratiâ mediante amplius
 studeam. Reverendi Patres & charissimi
 Fratres; veniam à vobis peto mali exempli,
 quod sanctæ huic domui præbui, & rogo
 vos, ut vestris mihi precibus opem feratis,

CAPUT XXIIIX.

Disciplinæ sive Flagellationes.

Religio conventus est pœnitentium volun-
 tatorum, tam ob propria sua quàm alie-
 na hominum mundanorum peccata se affli-
 gentium. Austeritas majorem constituit hu-
 jus sancti status exercitiorum partem, tam quo-
 ad illos, qui illum in sua ingressi sunt inno-
 centia, quàm alios. Sunt austeritates, quas
 quilibet cum suorum licentia superiorum exer-
 cet privatim: sunt etiam aliæ, quæ exercentur
 in communi, è quibus maximè ordinaria est
 disciplina.

Directio.

Domine Deus infinitæ Majestatis, mille
 modis te ego in quibusvis mei corporis
 membris offendi: jam nunc tibi ac tuæ ju-
 stitiæ

“ stitiæ aliquâ satis volo facere ratione. Rogo
 “ te, ut acceptam habere digneris pœnitenti-
 “ am istam, sicut illam tibi offero in unione
 “ passionis & flagellationis atrocissimæ Do-
 “ mini nostri. Virgo sanctissima, te etiam oro,
 “ ut meam hic velis agere Advocatam.

Spiritus pœnitentiæ istius in eo consistit, ut
 nobis ob oculos proponamus Dominum no-
 strum columnæ alligatum, cupiamusque ali-
 quid in illius pati societate.

Adhæc in eo positus est, ut ita ictuum sensui
 non intendamus, quin simul ad versiculos Psal-
 mi *Miserere* advertamus.

Ut nobis in ea actione ne parcamus, actus
 efformare poterimus sequentes.

1. “ Supplicia ego pro meritis fui Inferni, &
 “ tu, Domine, contentus es perexilibus hisce
 “ voluntariis afflictionibus.

2. “ Eja, anima mea, generosè sufferamus:
 “ Corpus hoc Deo rebelle, & nostrum capi-
 “ talem inimicum affligamus.

3. “ Pœnitentia ista permagni est emolu-
 “ menti, quoniam per illam bonam partem
 “ nostri debiti ob nostra peccata contracti ex-
 “ olvimus.

4. “ Utinam istis ictibus carnis meæ re-
 “ bellionem. illiusque vitia adversus spiritum
 “ possem comprimere!

5. “ Dolorem & afflictionem huic sensua-
 “ li; pœnitentiam & confusionem huic ho-
 “ mini voluptuoso.

6. “ Prô! quàm absum procul à Martyri-
 “ bus, qui magnâ constantiâ excoriari se sine-
 “ bant!

7. Aliquid, age, doloris hic sustineamus, ,,
Paulisper hic, anima mea & corpus meum, ,,
in societate Jesu Christi patiamur. ,,

8. Volo, Magister meus ac Dominus me- ,,
us, volo, inquam, in hac occasione saltem ,,
à longè ineffabilem patientiam & constan- ,,
tiam tuam, tum exhibitam, ubi cruentos ac ,,
sævos à tortoribus tuis ictus excipiebas, imi- ,,
tari. ,,

Quando noxæ alicujus expiandæ causâ, in
publico, sive in Refectorio, sive in Capitulo
flagellis se cedere quis habet, directio ista
erit.

Jam nunc, Domine Deus, in conspectu to- ,,
tius communitatis istius videri cupio, reve- ,,
rà qui sum, peccator ac sanctissimis tuis re- ,,
bellis mandatis. Gratiâ mihi concede, ut ,,
pœnam istam genuino subeam compunctio- ,,
nis sensu, neque hic ullâ mihi metipsi parcâ ,,
ratione: Utinam id cedat in meorum remis- ,,
sionem peccatorum, mulctam honorariam, ,,
ac debitam, quam tuæ exhibeo Majestati, sa- ,,
tisfactionem. Virgo sacratissima, tuâ mihi ,,
opem ferto intercessione. ,,

CAPUT XXIX.

De Colloquio Spirituali.

Religio perfectionis Schola est, ubi divinæ
studemus Philopiæ, non quidem ut alter
cum altero disputet, sed ut piorum sensuum
nostrorum communicatione invicem ad virtu-
tum extimulemus exercitium.

Est